



Die 11 Octobris
S. Philippi, diaconi

Ant. ad introitum

Act 8, 5

Philíppus descéndens in civitátem Samariæ prædicábat illis Christum.

Collecta

Deus, qui nos utriúsque Testaménti páginis instruis,
concéde, quæsumus,
ut, sancti Philippi diáconi intercessióne,
in scíentia tua crescámus,
et in omni ópere bono fructificántes,
secúndum Evangélii veritátem coram te fidéliter ambulémus.

Per Dóminum.

LECTIO PRIOR (proprietary)

«Philíppus incípiens a Scriptura ista evangeliázavit illi Iesum.»

Léctio Actuum Apostolorum

8, 26-40

In diébus illis:

Angelus Dómini locútus est ad Philíppum dicens: «Surge et vade contra meridiánum ad viam quæ descéndit ab Ierúsalem in Gazam; hæc est desérta». Et surgens ábiit; et ecce vir Aethiops eunúchus potens Candácis reginæ Aethíopum, qui erat super omnem gazam eius, qui vénérat adoráre in Ierúsalem, et revertabátur sedens super currum suum et legébat prophétam Isaíam.

Dixit autem Spíritus Philíppo: «Accéde et adiúnge te ad currum istum». Accúrrens autem Philíppus audívit illum legéntem Isaíam prophétam, et dixit: «Putásne intéllegis quæ legis? » Qui ait: «Et quómodo possum si non áliquis ostén-

derit mihi? » Rogavítque Philíppum ut ascénderet et sedéret sècum.

Locus autem Scriptúrae quem legébat erat hic: «*Tamquam ovis ad occisiónem ductus est, et sicut agnus coram tondénte se sine voce, sic non áperit os suum. In humilitáte eius iudícium eius sublátum est: generatiómem illius quis enarrábit? Quoniam tollitur de terra vita eius.*»

Respóndens autem eunúchus Philíppo dixit: «Obsecro te, de quo Prophéta dicít hoc? De se an de álio áliquo? » Apériens autem Philíppus os suum et incípiens a Scriptúra ista, evangelizávit illi Iesum.

Et dum irent per viam, venérunt ad quandam aquam, et ait eunúchus: «Ecce aqua: quid prohibet me baptizári? »

Et iussit stare currum, et descendérunt úterque in aquam Philíppus et eunúchus, et baptizávit eum.

Cum autem ascendíssent de aqua, Spíritus Dómini rápuit Philíppum, et amplius non vidit eum eunúchus; ibat autem per viam suam gaudens. Philíppus autem invéntus est in Azóto, et pertránsiens evangelizábat civitátibus cunctis donec veníret Cæsareám.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 95, 1-2a. 2b-3. 7-8a. 9-10a (R. Mt 28, 19)

R. Eúntes in mundum, docéte omnes gentes.

- 1 Cantáte Dómino, cáanticum novum,
cantate Dómino, omnis terra.
Cantáte Dómino, benedicte nómini eius. R.
- 2 Annuntiáte de die in diem salutáre eius.
Annuntiáte inter gentes glóriam eius,
in ómnibus pópolis mirabília eius. R.

3 Afférte Dómino, familiæ populórum,
afférte Dómino, glóriam et poténtiam,
afférte Dómino, glóriam nóminis eius. R.

4 Adoráte Dóminus in spléndóre sancto,
Contremíscite a fácie eius, univérsa terra,
dícite in géntibus: «Dóminus regnávit». R.

ALLELUIA

Mc 16. 15

R. Alleluia. V. Eúntes in mundum univérsum, dicit Dóminus:
prædicáte Evangélium omni creatúræ.

R. Alleluia.

EVANGELIUM

«Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos.»

† Lectio sancti Evangélii secúndum Matthæum 28. 18-20

In illo témpore :

Accédens Iesus locútus est úndecim discípulis, dicens:
«Data est mihi omnis potésta in cælo et in terra. Eúntes
ergo docéte omnes gentes, baptizántes eos in Nómine Patris
et Filii et Spíritus Sancti, docéntes eos serváre ómnia quæ-
cúmque mandávi vobis; et ecce ego vobíscum sum ómnibus
diébus usque ad consummatiōnem sæculi».

Verbum Dómini.

Super oblata

Dómine, qui per Spíritum Sanctum
beátum Philíppum in Diaconórum númerum elegísti;
emítte, super nos, fámulos tuos, spíritum tuæ benedictiōnis,
ut, illo intercedénte, sacris conveniénter servíre mystériis valeámus.
Per Christum.

Ant. ad communionem

Eúntes docéte omnes gentes, baptizántes eos in Nómine Pa-
tris et Fílii et Spíritus Sancti, docéntes eos serváre ómnia
quæcúmque mandávi vobis.

Post communionem

Cóporis sacri et pretiósí Sánguinis alimónia repléti,
súpplices te, Dómine, rogámus,
ut per huius sacraménti virtútem,
mystérium quod annuntiámus celebrándo,
étiam vivéndo fateámur.

Per Christum.